



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romæ, 1863

De S. Severo Martyre Ravennæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](#)

DE S. PARACODA EPISCOPO VIENNENSI.

CIRCA AN. CHR.
CCXXXIX.

I JANU.
S. Paracoda
in sacris fastis
nomina.

Varie ejus
expressum
nomen.

Sub quibus
Imperatori-
bus vixerit.

Desideratur in Martyrologio Adonis Viennensis, quod Heribertus Rosweydis noster edidit, S. Paracodae nomen : sed in MSS. Monasterii Lobbiensis, et S. Laurentii Leodii, atque appendice Adonis hac habentur : Eodem die sanctissimi Paragodae, septimi Viennensis Episcopi. Eademque habet Martyrologium Germanicum, ac MS. Florarium Sanctorum. Eadem fere Philippus Ferrarius, Beda, aliique. Neque illa Adonis Martyrologio adiecta aliena manu arbitror, ut censem Rosweydis. Quis enim credit ab Adone prædecessorem suum prætermissem? Pyragedam, Piragodam, Paragoden alii appellant.

2 De eo ista scribit Joannes Boscius in Bibliotheca Floriacensi, qui et octavum fuisse ejus Sedis Antistitem ostendit. Post S. Dionysium S. Paracodam, Graecus natione, uti fuerat Dionysius, Presulatum gessit; atque Antonini Caracallæ, Aurelii, Alexandri, Maximini, Imperatorum; ad quem Victor Papa ita scripsit:

Victor Episcopus, fratri Paragodæ Episcopo salutem. Collega noster Dionysius dormiens, te nobis

socium in Ecclesia Christi reliquit. Vides Frater Orientalis Ecclesiam propter celebrationem Pasche ab Occidentali disjunctam esse. Placuit ergo nobis Apostolorum sectatoribus, vestrae unanimitiati scribere, ut secundum quod scriptum est : *Vetera transierunt; Ecce nova facta sunt omnia; non tenebras sequamur, sed lucem; ut advertamus Prophetam: Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.*

2. Cor. 5. v.

Propterea Frater et collega in Domino, doce per Ecclesiastibi commissas, a xv Luna Pascha agendum,

Isa. 9. v. 2.

ut dicat nobis Apostolus : *Pascha nostrum immolatus est Christus; et, Fuius tenebrae, nunc autem lux in Domino. Unanimitas fraterna, te in Domino salutat.*

Fratres qui apud te Viennæ versantur, de nobis in

Domino salutans. Vale.

Honoratur vero S. Paracodam annuo recursu IV

Ephes. 5. v. 8.

Non. Januar. Cujus astate S. Zacharias Antistes

Lugdunensis florebat. *Hæc Boscius. At legitimane sit*

hæc Victoris epistola, dubitari merito potest.

Litteræ Victo-
ris Papæ ad
ipsum.

2. Cor. 5. v.

Monet ut Pa-
scha post xiv

Lunam curet

celebrari.

1. Cor. 5. v. 7.

DE SANCTIS XXX MILITIBUS MM.

ROMÆ VIA APPIA.

SUB DIOCLE-
TIAN.

I JANU.

Beda, Usuardus, Ado, ceterique : Romæ, via Appia coronæ sanctorum Militum xxx Martyrum sub Diocletiano Imperatore. *Martyrologium Germanicum addit, primum in vincula conjectos, ac deinde capite plexos. Galesinus quoque caput iis præcisum ipsius jussu Diocletiani, scribit.*

Notkerus, quod in ceteris passio et obitus horum Sanctorum Coronæ nomine indicatur, aliter exposuit, ut

corum Primipilum Coronam appellaret : nisi sit vitium librarii. Item Romæ, *inquit*, via Appia Coronæ et militum xxx qui sub Diocletiano Augusto pro confessione Christianæ fidei martyrio coronari meruerunt. Eorum meminist et Martyrologium S. Hieronymi, MS. Martyrologium monasterii S. Richarri quod Bedæ nomine prefert, habet tantum XX. MS. S. Laurentii Leodii quod est Adonis XXI.

DE SANCTIS MARTYRIBUS EUPHROSYNO EPISCOPO, PRIAMIANO VEL PRIANO ET ALIIS IX.

NICOMEDIAE.

I JANU.

Martyrologium idem S. Hieronymi : Nicomediae Eufrosini Episcopi, Priani et aliorum ix. MS. Monasterii Rhinouviensis : Nicomediae Eufrosini Episcopi, Priamiani, Era... Memoratur in Menais Græcorum

6 Martii Euphrosynus quidam aquam bullientem jussus potare, sicque occisus. Sed diversus ab eo videtur hic noster : de quo tamen nihil uspiam legimus.

DE S. SEVERO MARTYRE

RAVENNAE.

AN. CHR.
CCCIV.

I JANU.

S. Severus
Martyr di-
versus a S.
Severo Epis-
copo.

Ejus in Mar-
tyrologiis me-
moria, sed
vitiosum, ut
plurimum,

Sanctum Severum Ravennatum Episcopum, quem Kalendis Februarii Ecclesia celebrat, Kalendis Januarii quædam referunt Martyrologia; hinc fortassis nato errore, quod cum hoc die S. Severus martyrum Ravennæ subierit, cum cum altero multo celebriori et Episcopo auctores quædam confundebant. Et Maurolycus quidem Episcopum et Martyrem appellat eum qui Kalendis Januarii colitur, uti et MSS. Martyrologia duo, Bedæ nomine insignita, alterum domus Professæ Societatis IESI Antwerpia, alterum Ecclesiae S. Lamberti Leodii; item MS. Florarium Sanctorum Martyrol. Colonense vetus solum Episcopum; quedam MSS. Episcopum et Confessorem eum vocant. Martyrologium S. Hieronymi ista habet : Ravennæ depositio S. Severi cum fratribus. Iterum deinde Kalend. Februar. Ravenna, Severi Episcopi. Quæ obscura; præsertim cum depositio vix soleat nisi de Confessore usurpari, quid vero illud sibi vult Cum fratribus? deinde an duo fuere Severi Episcopi Ravennates confessores, in unum deinde conflati; quorum unus Marcellino Caji Papæ temporibus successerit, alter Agapito anno Christi 346. Constantio IV et Constante III Coss.

Quidquid sit de ea questione, alias Ravennæ fuit Severus Martyr, quem Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiae, et in generali catalogo Sanctorum, Kalendis Februarii referit, testaturque, ejus ob S. Severi Confessoris

expressa.

Colitur 1 ja-

nuarii.

*Quando passus.
Clarus miraculis et sanctitatis opinione.
Corpus Urbe veteri servatur, ut putat Rubeus.*

Confessoris solemnitatem officium differri. Ast Hieronymus Rubeus Kalendis Januarii mortem pro Christo oppetisse asserit lib. 2 Historiar. Raven. Cajo, inquit, subrogatus Marcellinus, et Marcellino Marcellus fuit. Quo tempore Severus Ravennas, alias ab Archiepiscopo, e medio sublatu est ab Maximiano Augusto: qui decimus et postremus in Occidente Christianos persecutus. Viri enim sancti prodigia, et vitam innocenter actam cum Maximianus accepisset, ob inverteratum in Christianos odium, captum, et sacrificare falsis diis renuentem, uti diximus, interfici jussit Kal. Januarii: cuius cadaver nunc summa religione in Orbito, quam plerique veteribus Herba-

nun fuisse putant, ab incolis conservatur, et colitur. Hoc loco, mea quidem sententia, Franciscus Maurolyeus Messanensis Abbas manifeste aberrasse deprehenditur, qui in suo Martyrologio, hunc fuisse Episcopum scribat: et longe magis Ferretus, qui hunc Severum cum illo confundat, qui fuit Ecclesie Archiepiscopi fratriss filius.

Ex variis Autographis.

Falli Rubeum ait Ferrarius: non enim hujus Severi extare Urbe veteri reliquias, sed alterius qui xv Februariorum et 1 Octob. colitur. Petrus de Natalib. lib. 3 cap. 66 S. Severum Martyrem et S. Severum Presbyterum, illum qui xv Februariorum colitur, in unum conflavit.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

EVANTO ET HERMETE

IN RHÆTIA.

I JAN.

Martyrologium S. Hieronymi: In Retia Evanti, Hermetis.

DE S. MAGNO MARTYRE.

I JAN.

Martyrologium Romanum: Eodem die S. Magni Martyris. Eadem habet Bellinus a Padua, Franciscus Maurolycus, Petrus Galesinius aliique. Nihil præterea de eo reperi.

DE S. THEODOTO MARTYRE.

I JAN.

*S. Theodosius
capite plexus.*

Menaxa 1 Januarii: Eodem die Sanctus Martyr Theodosius gladio vitam finit. Bini deinde versus subjiciuntur, quorum haec est sententia: Non feram, inquit

Theodosius, nisi gratiam Dei capite redemero. Aliquot celebrantur in Latinorum Martyrologiis Theodoti, a quibus tamen diversum hunc reor esse.

VITA

S. GREGORII

EPISCOPI NAZIANZENI

PATRIS S. GREGORII THEOLOGI.

CIRCA AN. CHR.
CCCLXXIII.
I JAN.
S. Gregorius pater
S. Gregorii Nazianzeni
sive Theologo.

Sanctum Gregorium Episcopum Nazianzenum, S. Gregorii Theologi parentem, hoc die venerantur Greci, ut ex Menaxa patet; in quibus haec habentur: Eodem die S. Gregorius pater S. Gregorii Theologi in pace quiescit. Eum laudat Gregorius filius in carmine quod de se ipse composuit, et alibi: sed fusissime oratione in ejus funere habita præsente S. Basilio, in quam extant Eliæ Cretensis commentarii et scholia Jacobi Billii, ex cuius interpretatione eam hic damus.

que columnam et fundamentum, et Domini voluntatem, et lumine in mundo verbum vita sustinens, et fidei fulcimentum, spiritusque domicilium. Et quid nomina ea omnia, que tibi tua virtus peperit, alia aliud tibi concilians atque offerens, recensere pergo? Ceterum die quæso. Unde te habemus, quænam est opera tua, quidque nobis allaturus hue accidis? Quandoquidem omnibus in rebus te Deo adjutore Deique afflatus impulsusque, atque ad eorum, qui te excipiunt, utilitatem moveri compertum habeo. An ut nos visas hue te contulisti? an ut pastorem quæras? an ut gregem visites? nos quidem jam nullos, maximaque nostri parte simul cum eo vita perfunctos, atque hume afflictions locum gravissime ferentes, hoc presertim tempore, quo peritum gubernatorem vitaque nostræ facem, quam nobis salutis ignem e sublimi ostentantem intuentes recto cursu ferebamur, amissimus: illum autem cum omni virtute pastoralique disciplina, quam diuturno tempore collegerat, a nobis morte abruptum, plenum dierum, ac prudentia, et (ut Salomonis verbis utar) gloriæ senectute coronatum: gregem denique anxiū et abjectum, summoque, ut vides, mœro tristitiaque profligatum, non iam in videnti loci requiescentem, nec refectionis aqua enutritum, sed precipitata et soliditudines et barathra, in qua dispersatur, ac pereat, quærerentem,

*Causæ ob quas
ad id funus
venerit Basilius.*

S. GREGORII
THEOLOGI IN LAUDEM PATRIS SUI
GREGORII ORATIO.

JACOBO BILLIO INTERPRETE.

S. Basilii hominifica compellatio-

Homo Dei, et fidelis serve, et mysteriorum Dei dispensator, et vir spiritualium desideriorum: hoc enim nomine sublimes et excelsos viros, et supra ea quæ oculis cernuntur, positos, Scripture vocat. Quin te quoque Pharaonis, hoc est omnis Ægyptiacæ atque adversariae potestatis Deum appello, Ecclesiæ-

Proverb. 16.
v. 31.